



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 17. Observanda post sponsalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

CAPUT XIV.

Sponsus, vel sponsa, laborans defectu, qui cognovus averteret, compartem a matrimonio, tenetur illum manifestare, si repugnet substantia matrimonii; vel sit infelix alterius; vel futurus ipsi graviter noxius. Alias non, etiamsi matrimonium inde futurum sit minus commodum, & minus appetibile.

58 **I**mprimis quod manifestare tenetur defectum, repugnantem substantia matrimonii, v. g. impotentiam, vel aliud impedimentum dirimens, omnes conveniunt. Quia esse nequit obligatio ad matrimonium, nec proinde sponsalia, cum tali impedimento.

59 **Q**uod etiam tenetur manifestare defectum infectivum alterius, vel futurum ei graviter noxium & damnosum, saltem si per accuratam inquisitionem detegi non soleat, v. g. morbum gallicum, lepram, &c. et si negent Sanchez, Huradus, Escobar, Dicastillo: merito tamen affirmant Turrianus, Pontius, Coninek, Palao, tum quia peccat contra iustitiam, qui merced inutili, vel multum noxiam, aut notabiliter vitiosam, vendit ignorantibus hanc vitia, ut de lignis putridis traditur *L. Julianus 13. ff. de act. empt. & L. 1. ff. de Edil. Edict.* Tum quia nisi manifestentur exitus, merito imputandos doloso sponso, vel sponsae. Tum denique quia cum ejusmodi defectus sit justissima causa dissolvendi sponsalia, fraudulenter sponso sponso vel sponsa, si eo non detecto sponsalia vel matrimonium contrahat, fraudque ista valde scandalosa est: eo quod spectata humana fragilitate, det comparti occasionem maxima exacerbationis, aliorumque non levium peccatorum.

60 **D**enique quod manifestare non tenetur defectus non infectivos, nec noxios, etsi reddere possint matrimonium minus commodum, & minus appetibile, docent omnes passim Doctores: tum quia & in usu communissimo timoratorum est receptum. Tum quia in contractu emptionis non est obligatio apertendi leviores defectus mercis. Tum denique quia sibi pars altera debet imputare, quod accuratorem de iis non fecerit inquisitionem.

61 **H**ujusmodi defectus a Doctoribus censentur fornicatio sponsi, vel sponsae, antecedens vel subsequens sponsalia, ignobilitas, paupertas & similia, personam intrinsece non afficientia, sed extrinsece, adeoque per accuratam perquisitionem detegi solita. Ad quae manifestanda tunc maxime non tenetur sponsa, quando non potest absque sui diffamatione. Neque enim tenetur se ipsam diffamare. Et ideo non tenetur manifestare fornicationem suam. Si tamen merito timeret, ne vitium suum post matrimonium fieret manifestum, & sponso noxium, indeque oritur graves rixas, & diuturnas, grandiaque peccata, ut si foret occulte gravida, teneretur illud manifestare, vel nuptias declinare: utpote de quibus alioqui merito timere deberet insaufos exitus, graveque damnum sponsi innocentis, propter illegitimum puerperium, indeque ignominiam ipsius, educationem illegitimae proles, haereditatem, &c.

CAPUT XV.

Qui promissit, vel etiam juravit, se non duciturum nisi Titiam, absolute non tenetur eam ducere, sed solum casu quo nubere velit.

62 **R**atio est, quia negativarum ejusmodi promissionum, vel pactonum, genuinus sensus non

est de ducenda absolute tali, sed de alia non ducenda. Sicut si quis dicat: *non vendam equum meum, nisi Cajum*, sensus non est, *ipsum absolute vendam*; sed, *si vendam, Cajum vendam*. Unde Cajus ipsum cogere non potest ad vendendum. Reus tamen esset violatae promissionis, si alteri venderet. Et similiter, in casu nostro, si aliam duceret.

CAPUT XVI.

Ad dissolvendum sponsalia clandestina, seu occulta, dum causa dissolvendi est moraliter certa, necessaria non est auctoritas Judicis Ecclesiastici.

In S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 7. Quia nullo jure pro illo casu statuitur necessitas Judicis Ecclesiastici. Uti nec pro casu, quo sponsalia publice contracta sunt, si dissolvendi causa sit publice manifesta. Sed in aliis casibus divini debent secundum judicium Ecclesiae (ait S. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. a. 3.) utique primo, quando causa dissolvendi dubia est. Secundo, dum sponsalia contracta fuerunt publice, & in facie Ecclesiae, & dissolvendi causa est occulta. Tunc enim, ad vitandum scandalum, recurrendum est ad Judicem. Sed antequam reveletur occultus defectus alterius partis, monenda est, ut, ad evitandam infamiam suam, consentiat in dissolutionem; adhibitis etiam, si necesse sit, parentibus ipsius, seu alius viris piis, a quibus inducatur ad consentium istum. Quod si post haec omnia nolit consentire, sibi imputet, si defectus, cum infamia ipsius, deferatur ad Judicem. Ita Doctores communiter.

CAPUT XVII.

Observanda post sponsalia.

Imprimis summopere cavere debent sponsi, ne ante matrimonium, per verba de presenti contractum, sub eodem tecto habitent, vel peccato carnis, sive opere consummato, sive per libidinosa oscula, amplexus, vel tactus inchoato, se invicem polluent, Deum a cordibus suis excludant, cum diabolique incipientes, quod in Domino inchoandum est, perferendum est, gratiae sacramentali, divinisque benedictionibus obtemperant, insaufasque proinde nuptias contrahant. Quod tanti momenti censuit S. Carolus Borromeus, ut carnalem copulam inter sponsos ante matrimonium Episcopo reservatam esse voluerit in Concilio Mediolanensi VI. tit. de his quae ad matrimonium pertinent. Quod & fecit Synodus Aquisgranensis anni 1585.

Deinde ad matrimonium se preparare debent modo exponendo capite sequenti.

CAPUT XVIII.

Preparatio Sponsorum ad matrimonium.

Primo nunquam Christianus homo, vel Christiana, statum matrimonialem eligere debet, nisi ante omnia, etiam ante sponsalia, serventibus, frequentibusque orationibus, aliisque pietatis exercitiis, a Deo postulaverit ut notam sibi faceret viam, in qua ambulare, ipsi servire, salutemque suam operari debeat, sicque diligenter perpendit, an vocatio ad matrimonium ex Deo sit, an ex inclinatione carnis & sanguinis. Neque enim verum est quod ait Author libri gallice conscripti, sub hoc titulo: *Traité de la vocation Chrétienne des enfans*, scilicet quod omnes naturaliter ad matrimonium vocati sint, vocatione generali, exceptis iis solum qui se vocatos specialiter sciunt ad virginitatem. Neminem proinde examinare debere, num vocatus sit ad matrimonium; sufficere, quod se specialiter vocatum non sciat ad